

tali coacta sanguinis indagatione ad *naturalem & ordinarium* ejusdem statum non valeat consequentia.

§. VI.

Præcipua qualitas, qua Sanguis inclarescit, & ab aliis *specialissimis* humoribus corporis humani se distinguit, est *Rubor*, cujus *diversæ* causæ vulgo proferuntur; in *naturali* quidem suo statu ejus rubedo *eminentior*, attamen, ut supra diximus, per ætates, temperamenta, diætam & vitæ genus discrepans est; quando vero *motu* suo vitali destituitur, communiter in *nigrum* vergit colorem: quare *generice* indicamus ruborem non accidentalem, sed *essentialem* sanguinis qualitatem esse, licet coloris exaltatio & *mutatio* variis aliis *accidentalibus* causis & respectibus tribui debeat: Haud quidem LOWERI sententiam amplectimur, qui *tr. de corde cap. 3. p. 180. seq.* hunc ruborem *permixtioni aëris cum sanguine in pulmonibus* contingenti adscribit; cui sententiæ multum inhæret BOHNIUS *circ. anat. progymnas. 13.* & SWALBE *in disquisitione therapeutica*: siquidem nec in illud assertum consentimus, quod *ordinarie* aër, communi sensu appellatus, *membranosam pulmonum* texturam & substantiam *penetret*; deinde concedimus, quod *subtilior* aëris *æthereæ* pars illico quidem penetrare & sanguini permisceri queat soleatque, quod etiam ruboris exaltatio huic miscelæ æque adscribi queat, ac si sanguis *sufficienti limpida* aqua permixtus magis rutilat, quam alter sanguis, cui deficit sufficiens hæc *diluens* materia; aut quemadmodum in pulmonibus sanguis cum *depurata* lymphæ, a thoracico canali & sinistra subclavia vena afflua *intimius* permixtus, *floridior* & fluidior redditur, propterea tamen nec *aquæ*, nec *lymphæ* primario
causa